DE AUGUSTISSIMI VERBI DIVINI INCARNATIONE PROPOSITIONE SELECTAE QUAS...

Giustino Polo

DE AUGUSTISSIMI
VERBI DIVINI INCARNATIONE
PROPOSITIONES SELECTÆ

QUAS

AUSPICE ET PATRONA

DEIPARA LABEM NESCIENTE

PUBLICE AB OBJECTIS VINDICANDAS

AGGREDITUR

P. FR. JUSTINUS POLO A S. VITO

ORD. MIN. EX FAMIL. OBS.

IN CONVENTU S. FRANCISCI VINEÆ VENETIARUM

THEOLOGIÆ AUDITOR

DISPUTATIO HABEBITUR IN EJUSDEM COENOBII TEMPLO

DIE XXV MAII AN. MDCCCLVIII. HORA IV CUM DIMIDIO A MERIDIE.

VENETIIS,

EX OFFICINA JOAN. BAPT. MERLO.

945

Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in Mundo, assumptum est in gloria.

Apost. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 16.

DE

VERBI DIVINI INCARNATIONE

THESES.

I. A genuina Augustissimi et plane ineffabilis Incarnationis Mysterii doctrina auspicamur vel ipso in limine, ne plures oriantur controversiæ, quorum vis tota est in nominis æquivocatione. Incarnationis igitur nomen derivatur ab illis Divi Joannis verbis, *Verbum caro factum est* (1): estque, unio personalis seu hypostatica naturæ Divinæ et humanæ, in una Verbi Divini Persona, ex qua unus est Christus, ad humanum genus redimendum.

II. Statuta Dominicæ Incarnationis genuina doctrina, ipsius possibilitatis et non repugnantiæ adversus Socinianos, Hebræos, Rationalistas, Incredulos, aliosque Christianæ Religionis infensissimos hostes, totis viribus vindicias sumimus. Divinæ potentiæ omnia illa sunt attribuenda, quæ sibi non derogant; ast divinam naturam humanæ uniri in unitatem personæ nullam arguit imperfectionem, cum natura humana ab ipsa divina, et a divino supposito pendeat, sed potius dignitatem et nobilitatem dicit (2); ponendum est ergo Incarnationis Mysterium esse Deo possibile; ideoque

(1) Joan. 1, v. 14. — (2) S. Bonav. lib. 3. Sent. q. 1.

dixit Angelus Mariæ, Mysterium Incarnationis aperiens, *non erit impossibile apud Deum omne verbum* (1).

III. Cum in Augustissima Incarnatione cuncta colluceant Dei attributa, homo a peccatis solvatur, a laqueo mortis æternæ eripiatur, ac innumeris cumuletur beneficiis naturæ et gratiæ, totique universo plurimum decoris et ornamenti contingat, utpote per Christum, juxta Apostolum, omnia instaurata inveniantur, *quæ in Cœlis, et quæ in terra sunt in ipso* (2); maxime Incarnatio conveniens est Deo, homini, totique universo.

IV. Congruo ordine, ac alta Dei sapientia, Verbum carnem sumpsit, non Pater, vel Spiritus Sanctus: primo enim cum Imago Dei esset in homine per peccatum detrita, conveniens erat naturalem Dei apponere imaginem ad cujus similitudinem homo formatus reformaretur: secundo cum per ipsum facta sint omnia, consentaneum utique fuit omnia per Verbum ipsum reformari ac reparari; tandem ne indecora redundaret confusio in Ss. Trinitatem, ut inquit Gennadius Massiliensis, *Non Pater carnem sumpsit, nec Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut quod erat in Divinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis Filius; ne Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate Filius* (3).

V. Quamquam non id omne quod conveniens est, necessarium sit, tamen necessaria simpliciter fuit Verbi Divini Incarnatio ex hypothesi quod voluerit Deus hominem lapsum reparare, et quidem per condignam ac rigorosam satisfactionem infinitæ suæ justitiæ; nam *impossibile est,* ait

(1) Lucæ 1, v. 37. — (2) Ad Ephes. 1. v. 10.
(3) In Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 2.

Apostolus, *sanguine taurorum et hircorum auferri peccata: ideo ingrediens Mundum dixit* (Christus) *hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi* (1).

VI. Poterat ne satisfacere pura creatura? Mera creatura, quibuscumque gratiæ donis exornata sit, Dei offensæ per peccatum illatæ nunquam æquiparare valet nec satisfacere ad strictos juris apices; *non homo nudus*, sic S. Basilius in psalm. 28, exponens hæc verba « Frater non redimit, redimet homo » *sed homo Deus Jesus Christus: quia nullus alius condignum afferre poterat remedium.*

VII. Messiam fuisse in lege promissum (2), et ab Hebræis quovis tempore expectatum (3), est luce meridiana clarius, quidquid dicant hodierni ex protestantica secta Rationalistæ; et quidem determinatum ac singularem, non vero vagum ac indeterminatum: nec fuisse temporalem salvatorem ad suppetias populo Judaico ferendas, uti blasphemat Judæus Salvador. Vaticinia enim Prophetarum, characteres, officia ac munia obeunda satis superque rem demonstrant.

VIII. A promissione ad ejus adventum gressus dirigimus. Jam diu effluxisse tempus in Scripturis Sanctis definitum, qua futurus Messiæ adventus præsignatur, adversus obstinatam Judæorum perfidiam, qui in vanum adhuc Messiam expectant, innumera Prophetarum oracula (4) nullum

(1) Ad Hebræos cap. 10, v. 4.

(2) Genes. 3, v. 15, item 12, v. 3; 18, v. 18, etc.

(3) Josephus Flavius de bello judaico lib. 11, cap. 5. Tacitus Hist. lib., cap. 5, et 13. Svetonius cap. 4, in Vespasianum: Joan. 4, vv. 25, 29, et 42.

(4) Genes. 49, vv. 8, 9, et 10. Daniel cap. 9, v. 24, et seqq. Aggæus cap. 2, vv. 7, et 10. Malachia cap. 3, v. 1, et seqq.

dubitandi locum relinquunt. Sed ecquisnam sit iste Messias in lege promissus et ab Hebræis quovis tempore expectatus est modo aperiendum.

IX. Incarnationis Mysterium adimpletum esse in Jesu Christo Nazareno, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia est (1). Omnia de Messia vaticinia ita plenissime et adamussim completa reperiuntur in Jesu Christo Nazareno, ut nullum remaneat effugium ad excusandam Judæorum perfidiam, et Gentium stultitiam. Tempore enim quo apparuit Nazarenus, Liberatorem Judæi expectabant, sceptro de Juda ablato (juxta Jacobi vaticinium), sub finem 70 hebdomadum (vatic. Danielis): stante adhuc Templo secundo post captivitatem Babylonicam ædificato (Aggæi et Malachiæ vatic.) : a Virgine concipitur, ex tribu Juda et Familia David, miracula edit et prophetias, gentes vocat (juxta vatic. Isaiæ): Bethlehemi nascitur in terra Judæ (Micheæ vatic.): Stella præmonstratur (ex lib. Num. cap. 24, v. 17); Sacerdotium et legem antiquat, et innovat (juxta Jeremiam et Zachariam): humilem vitam ducit, e cruce transfossis manibus pendet (juxta Davidem), quod paucis verbis apposite S. Augustinus innuit: *venit Christus, complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, resurrectione, omnia præconia Prophetarum* (2).

X. In meridiana luce prophetiarum oculos claudunt ut nihil videant, et aures obstruunt ut nihil audiant Hebræi omnes ac Rabbini, dum sibimetipsis suadere student, luctuosam ac miserabilem dispersionem ac familiarum confusionem (ita ut ex qua tribu quisque oriundus sit plane nesciat) esse continuationem Babylonicæ servitutis. Cha-

(1) 1. Corinth. cap. 1, v. 23. — (2) Epist. 137 ad Volus.

racteres omnes præsentis servitutis ac dispersionis, toto cœlo distant a Babylonica servitute.

XI. Nulli alii causæ, quam divinæ Christi virtuti adjudicanda est hæc miserabilis Judæorum conditio, quidquid in contrarium dicat Judæus Orobius; cum juxta Prophetarum oracula, Judæorum Populus abjiciendus esset a Deo, ut pœnam lueret sacrilegii sui; *post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et Civitatem, et Sanctuarium* etc. (1). Causa ergo hujus servitutis, ac dispersionis quæ usque ad consummationem et finem perseverabit, est, quia *Occisus est Christus.*

XII. De existentia Dominicæ Incarnationis satis; nunc de ejus natura. Cum in Incarnatione duæ sint naturæ, Divina nempe et humana in una Verbi Divini Persona, ex qua unus est Christus (prop. I.); ergo vere et proprie dicta Divinitas, seu natura Divina est in Christo profitenda, ac profitemur contra Rationalistas, Socinianos aliosque hæreticos Christum purum hominem existimantes: clara enim sunt illa Joannis verba: *In principio erat Verbum* etc. ... *et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (2).

XIII. Non minus a veritate aberrant Simoniani, Marcionitæ, aliique hujus furfuris, qui veram carnem, verumque corpus Christo denegant, dum blasphemant contra aperta Scripturarum oracula, et sanam rationem, Verbum Divinum haud veram ac solidam carnem assumpsisse nostræ consubstantialem ex Virgine Matre, sed apparentem ac umbratilem; nam si Verbum caro factum est et habitavit in nobis, teste Evangelista Joan., nonne habitatio nobiscum vere dicit Christum corpus habuisse humanum? In-

(1) Daniel cap. 9, v. 26. — (2) Joan. cap. 1, v. 14.

super Christus fuit ex semine David secundum carnem, qui passus et mortuus est pro nobis, ut sacra eloquia testantur (1); ergo veram carnem, verum corpus suscepit Christus.

XIV. Nec Cœleste vel e Cœlo delapsum fuit Sacratissimum Christi Corpus, uti somniarunt Valentiniani, Apollinaristæ, ac nonnulli recentiores Protestantes; audiant ipsi Evangelistam, *ecce concipies in utero,* inquit Angelus Mariæ, *et paries Filium* (2); et Apostolus: *misit Deus Filium suum factum ex Muliere* (3); quomodo conceptus in utero Virginis, et factus ex Muliere, nisi quia corpus ex ea suscepit?

XV. Verbum Divinum humanam assumpsit naturam ut esset mediator Dei et hominum (4), et quia perfectus mediator, ideo perfectus Deus et perfectus homo; nam hominis est non solum habere corpus cum membris omnibus, sed et veram animam cum omnibus potentiis: *non est homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit* (5); oppido ergo falluntur Arius, Eunomius eorumque asseclæ, asserentes Filium Dei carnem sumpsisse sine anima, vel cum anima sed sensu carente et intellectu, ut impie blasphemant Apollinaristæ.

XVI. Idem Christus in Scripturis S. dicitur Deus et homo (6), in forma Dei et in forma Servi (7), Filius Dei et factus ex Muliere (8); sed id dici nequit nisi propter unionem substantialem et hypostaticam naturæ Divinæ et humanæ in una Verbi Divini Persona; nam nunquam duæ

(1) Apost. Rom. 1, v. 3. Lucæ cap. 22, et Matth. cap. 26.
(2) Luc. 1, v. 31. — (3) Ad Galat. 4, v. 4.
(4) Ad Timoth. 1, cap. 2, v. 5, et Joan. cap. 3.
(5) S. August. Epist. 187, n. 4. — (6) Roman. 9.
(7) Ad Philipp. 2. — (8) Ad Galat. 4.

naturæ integræ et inconfusæ distinctam hypostasim habentes invicem prædicantur in concreto ; ergo una hypostasis seu Persona in qua duæ naturæ Divina et humana subsistunt est admittenda adversus Nestorianos : quæ Persona cum sit Verbi Divini, Divina est nuncupanda.

XVII. Ob hanc hypostaticam unionem B. V. M. vere et proprie Deipara, sive Mater Dei dicenda est ; cum enim generatio in totum suppositum desinat, idest in naturam subsistentem, et B. V. Maria suppositum Divinum in assumpta carne genuerit ac pepererit : *quod nascetur ex te Sanctum,* inquit Angelus Mariæ, *vocabitur Filius Dei* (1); ergo vere et proprie Deipara, seu Mater Dei dicenda est.

XVIII. Mariam Jesu Matrem integram in conceptu et partu Virginitatem servasse, in dubium nullimode vocari potest, statim ac demonstratum est Jesum Christum Nazarenum fuisse verum Messiam (prop. IX), qui e Virgine, salva ipsius integritate, nasci debebat, *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (2) : revera autem id contigisse referunt Evangelistæ (3) ; imo perpetuam integritatem mentis et corporis servasse Mariam Jesu Matrem, Patres, Concilia, et Ecclesia fidem indubiam hac de re faciunt.

XIX. Christus Mariæ Filius, qua homo estne Filius Dei adoptivus, vel naturalis? Primum dicere est hæreticum, secundum est dogma catholicum ; nam adoptio cadit in personam extraneam, quæ ex gratia ad hæreditatem vocatur ; ast in Christo nulla est persona extranea, sed unica

(1) Luc. 1, v. 35. — (2) Isaiæ vatic. 7, v. 14.
(3) Matth. cap. 1, v. 23, et Luc. cap. 1, v. 30, et 35.

est eaque Divina (prop. XVI.); ergo Christus qua homo est Dei Filius naturalis, et non adoptivus.

XX. Unio naturæ Divinæ et humanæ cum facta sit immediate in Persona Verbi Divini, et non in naturis (prop. I.); ideo duæ naturæ, Divina scilicet et humana, inconfusæ, distinctæ, et impermixtæ contra Eutychianos sunt statuendæ: *nec Verbum in carnem*, ut apposite S. Leo scripsit, *nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque in uno manet, et unus in utroque; non diversitate divisus, non permixtione confusus* (1).

XXI. Si in Christo duæ sunt perfectæ naturæ, distinctæ, et inconfusæ; ergo et duæ voluntates naturales et operationes distinctæ et inconfusæ sunt in Christo profitendæ contra Monothelitas; nam perfectæ naturæ est convenientes habere proprietates.

XXII. Cum Scripturæ S. eumdem Christum Deum appellent et hominem, Filium Dei, et Filium hominis, ab æterno genitum, et in tempore natum; ergo admittenda est in Christo communicatio idiomatum seu proprietatum utriusque naturæ, non *in abstracto* seu respectu naturæ, sicuti volunt Nestoriani, sed in *concreto*, sive ratione personalitatis, quae utramque naturam facit subsistere, quod impugnant Eutychiani.

XXIII. Christus qui suo nos redemit Sanguine, vere et proprie pro nobis Deo satisfecit, non figurate et metaphorice, uti Sociniani contendunt; nam ille vere et proprie pro nobis satisfecit, qui dedit semetipsum pro nobis in pretium (2), in quo redempti, et per quem salvati et liberati sumus (3),

(1) S. Leo ep. 11. — (2) Ad Tim. 1. cap. 2, v. 16, et ad Tit. 2, v. 14.
(3) Ad Eph. 1, et Matth. 20, v. 28.

qui vice et loco nostro passus et mortuus est, ut nempe solveret pro nobis debitum ex peccatis cum Divina justitia contractum (1); ast hæc omnia praestitit Christus ut innuunt innumera Scripturæ loca ; ergo etc.

XXIV. Tandem Christi satisfactio non solum perfecta, sed et superabundans fuit (2), et ad omnem justitiæ rigorem, cum ea omnia in illa inveniantur quæ sunt necessaria ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam, ad strictos juris apices (3).

(1) Epist. 1 Petri cap. 3, v. 18, et ad Rom. 8, v. 32.

(2) Psalm. 129, ad Rom. 5, v. 20. S. Aug. in psalm. 68, et 129. D. Thomas 3. p. q. 48, art. 2. — (3) Isaiæ cap. 53. Ad Rom. 5, vv. 10, et 20.

A tertio cuilibet Doctori in S. Facultate elargito jure opponendi:

Cathedrae assistent

PP. FF. Lucianus a Græcio, Paschalis ab Imota,
et Gregorius a Cryptis Castri,
S. Theologiae Lectores Generales.

Vidit. V. MORO Vic. Capit.